fortaſſe ſunt. Aliter. Arcus id eſt ſuperbia et fortitudo fenennę quę in filiis gloriabatur
ſuperata eſt; et anna quę ob ſterilitatem infirma erat. accincta eſt robore
filiorum. Donec ſterilis peperit plurimos. et cetera. In hebreo et in LXX. tranſ
latione non plurimi. ſed VII. leguntur. Iudei hunc locum ita intellegunt. quod
nato ſamuhele mortuus ſit primogenitus fenennę. Sed querendum eſt. quomodo
hoc ſtare poſſit. cum fenenna VII. anna autem non niſi V. filios habuerit.
Quam queſtionem hebrei ſoluentes. duos filios ſamuhelis cum filiis annę
annumerant. Domini enim ſunt cardines terrę. et poſuit ſuper eos orbem.
In hebreo ita legitur. Domini enim ſunt afflictiones terrę. Afflictos terrę hebrei
humiles et pauperes intellegunt. ſuper quos dominum orbem poſuiſſe dicunt. quia
eorum meritis terram ſtare autumant. Dominum formidabunt aduerſarii eius.
et ſuper ipſos in celis tonabit. Super aduerſarios ſuos dominus in celis tonabit.
ſicut eſt illud in libro joſue. Cumque fugerent a facie iſrahel. et eſſent in deſcen
ſu bethoron. dominus miſit ſuper eos lapides magnos de celo. uſque azeca.
et multo plures mortui ſunt lapidibus grandinis. quam quos gladio percuſ
ſerant filii iſrahel. Heli autem erat ſenex ualde. et audiebat uniuerſa quę fa
ciebant filii ſui uniuerſo iſraheli. et quomodo dormiebant cum mulieribus quę
obſeruabant ad hoſtium tabernaculi. Dormiſſe eos dicunt hebrei cum mulieribus.
eo quod poſt menſtrui tempus aut partum non impleto ſecundum legis preceptum ſacrificio.
ſuadebant eis ad uiros ſuos redire. eiſque commiſceri. Et dormire ideo di
cuntur. quia eas dormire cum uiris ſuis contra legis precepta faciebant. Unde et
idem heli poſtpaululum ait. Non bonam famam audio de uobis ut tranſgredi facia
tis populum domini. Tranſgreſſionem quam ipſi faciebant. quia ſacrificio non rite pa
cto. uxoribus ſuis iungebantur. Sicut enim ui extorquebant carnes ab immo
lante. ita et extorquebant ſacrificium ab offerente. et ideo ſicut in auferendis
carnibus faciebant homines detrahere ſacrificio domini. ita quoque nec homines in
coniungendis uxoribus faciebant tranſgredi populum domini. Si peccauerit
uir in uirum. placari ei poteſt dominus. quia placato ſit uiro in quem peccauit.
placabilis ſit et dominus cui in uiro peccauit. Si autem in dominum peccauerit uir quis
orabit pro eo. Non quod eo minus in uirum quam in dominum peccatur. quia in uirum peccare pec
catum quidem eſt leuiorque remiſſio. in dominum uero peccare. id eſt ab eius cultu
recedere. impietatis peccatum eſt. difficiliorque remiſſio. Et quomodo cum in ui
rum quis peccat placato ſit uiro facile ſit dominus placabilis. in dominum autem cum quis pec
cat. quis orabit pro eo. Ac ſi dicatur. Per quem ſit dominus in quem peccauit poterit